





37

FACVLTATIS MEDICAE
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
H. T.
PRO-CANCELLARIUS
D. POLYCARPVUS GOTTLIEB
SCHACHER
ORDINIS SVI DECANVS
PANEGYRIN MEDICAM
INDICIT.

LIBERARUM MEDICAE
IN
ACADEMIA ITALIENSIS
PRO CINCERIAS GOTTHIEB
SCHÄCHER
CINCERIAS DEGENAS
HOMO AN HEDICAM
INDICAT



Vi minima corporis nostri initia, quotidiana eius incrementa, cum plenaria partium formatione, et eleganti symmetria, attentius paulo contemplantur, ii affatim habent, cur diuinam summi Creatoris sapientiam, ex stupendo illo opere vndeque emicantem, pie venerentur ac demirentur. Sed mortales plerumque ea, quæ consueto naturae ordine fieri solent, parum curant, nedum digne expendunt. Quod si vero accidit, ut pars quædam organica, perfecte formata, insolite in liquidum mutetur, et plane evanescat, protinus in admirationem quiuis pene abripitur, et valde insolentis phaenomeni rationem scire auet. Profecto obseruatio, a BARTHOLINO * litterarum monumentis consignata, admirationis est plena, et fidem proponendum superare videtur. Haec namque virum quempiam sifit, qui vigesimo quarto aetatis anno in arthriticos dolores delapsus, pedetentim eam omnium ossium mollitiem contraxit, vt brachia eius, cruraque, sine ylo doloris sensu flecti potuerint. Imo vero os sa quævis adeo mollia tandem euaserunt, vt, musculis contractis, homo staturae alioquin iustae et elegantis, ad tantas angustias fuerit redactus, vt vix staturam pueri trium annorum aequaverit, omnibus, cum corporis, tum animi, functionibus, exce-

A 2

pto.

(*) Vid. Act. Hafniens. Vol. 3. Obs. 24.

pto saltem motu, integris fere permanentibus. Atque ciusmodi mutationi omnes pene solidas corporis partes obnoxias esse, observationum medicarum gñaris ignotum haud est. Memoratu omnino digna sunt, quæ paucis ante annis in Iuuene, ex antiquissima et illustrissima gente orto, plaeclaris animi dotibus ornato, phthisique extincto, animaduertere nobis licuit. Et enim is a teneris gracilioris corporis erat constitutionis, atque ad affectus pectorales, et phthisin ipsam proclius, qua parens eius, et alii cognati, laborauerant olim, et frater germanus, vi gesimum tertium aetatis annum nondum supergressus, atque eodem affectu diu multumque fatigatus, breui post laudati iuuenis obitum, praematuram quoque obierat mortem. In primis vero, octo circiter hebdomadas ante obitum, non modo pectoris angustia eidem anxieties crebat ineffabiles, sed et abdomen paulatim intumescens ascitem prodere videbatur. Et licet animi sui sensa clara voce explicare, et alimenta euchyma non sine omni appetentia comedere valeret: tamen attritis sensim ac sensim viribus, corporeque atrophia extreme extenuato, tandem placide ultimum edebat halitum. Aperto post facta thorace, tota cauitas dextra, sero corrupto repleta, tantaque huius copia inueniebatur, ut idem diaphragma ultra os ilium dextrum protrulerit, pulmonis vestigio nullo ibidem comparente, excepta saltem membrana duplicata, incrassataque, et albo colore tincta. Haec vero quatuor circiter pollices longa lataque, ei tracheae parti, e qua ramus dexter educitur, ita adhaerebat, ut leui contactu, et suapte veluti sponte decideret, quam curiositatis ergo adhuc asseruamus. In latere opposito parum seri extrauersati, et lobus pulmonis, integer quidem, sed pluribus vomicis foedatus, in conspectum prodibat. Ex morbi historia concise descripta appareat, genuino ascite nequam laborasse nostrum, ut abdome in eam excreuisset molem, quam in ascitis vix maiorem deprehendamus; quandoquidem putridus humor iis saltem partibus, quae thoracem componunt, huncque ab imo ventre distinguunt, comprehensus, in oculos

oculos incidebat. Sane ascitis alibi descripti occasione tam insolitum diaphragmatis situm delineauimus, vt idem aquarum mole pressum, in latere thoracis dextro ad costam superiorem secundam, in altero ad tertiam vsque adscenderet, ibidemque partibus vicinis, fibris interiectis, adhaereret. In praesenti thoracis empyemate contrarius est septi transuersi situs, ut potente profunde admodum cum ipso hepate in abdomen delapsi. Quapropter laudatum iuuenem ex pectoris angustia insignes persensisse anxietates, nemini mirum videbitur. Licet namque latus affectum omni destitueretur pulmone, idque parum ad respirationem amplius conferret; tamen maxima putridi serni moles, indeque oriunda difficultas, et diaphragmatis, et cordis, et pulmonis residui, motio, non poterat non inquietum reddere misellum, tunc demum aliiquid solatii percipientem, quando erectum corporis situm seruaret, aut in lecto cubans lateri morbo incumberet. Illo enim tempore liberius paulo, fero putrido ad inferiora, aut latus affectum conuerso, spiritum ducebat, vocemque satis claram edebat. Evidem plerique phthisicorum cum propter aerem, foedis puris particulis inquinatum, minusque hinc sonorum, tum in primis propter glottidem, puris acore erosam, et scissuris veluti exarata, aut, pro circumstantiarum varietate, nimum vel humectatam, vel exsiccatam, aliqua raucitatis specie affliguntur: at ab hoc incommodo immunis permanferat noster. Quandoquidem glottis, vocem naturaliter fingens, superficiem glabram politamque verisimiliter seruauerat, pure non tam frequenti screatu electo, sed potius in alterutro thoracis latere congesto, pulmone residue interea temporis aerem, ad vocem formandam necessarium, adhuc suppeditante. Potissimum vero dextri pulmonis defectus, qui mihi met ipsi non leuem mouit admirationem, paulo attentius considerari meretur. Sane cum ne tantillum pulmonarii vasis, vel substantiae vesicularis, in tota thoracis cauitate apparuerit, non sine probabilitatis specie defectum huius pulmonis fuisse natuum, existimare quis posset. Praeter-

Quiam enim quod Cl. GOELLERVS (*) plenarium pulmonis defectum in abortu monstroso humano obseruauit, abscessissimi certe huius phaenomeni rationem multo facilius animo concipi posse, arbitror, si, tenerina futuri pulmonis statim dissoluta fuisse, nec debite explicata, asseratur, quam si, tantae molis viscera in liquorem putridum fuisse conuersum, existimetur. At enim uero illam quo minus complectamur sententiam, haud pauca prohibent. Siquidem constat, iuuenem optimum saepe pectoris, et in primis lateris dextri, puncturis, item tussi, lenta corporis consumptione, excretionie foetidae materiae, febre hectica, similibusque symptomatibus, fuisse confitatum; quae omnia non tam pulmonis defectum, quam potius labem eius indicant. Copiosissima insuper materia corrupta, in affecto latere deprehensa, non tam hydropem, quam re-
ctius empyma designat. Parum namque similitudinis materia illa cum hydropicorum aqua habebat, ac praeterea pulmo sinistri, vomicis multis scatens, malorum foneem dilucide declarabat. Ut nihil iam de residua membrana dicam, que quidem externa pulmonis membrana longe erat crassior; cum tamen illi trunci asperae arteriae parti, a qua dexter ramus, ad pulmonem eiusdem lateris excurrens, ordinarie exit, adhuc adhaeserit, et pleraque viscerum tunicae externae, quorum substantia interna paulatim consumitur, haud mediocriter crassescant: non sine causa memoratam membranam pro residua pulmonis portione habemus. Accedit, quod alia quoque viscera huiuscemodi mutationem subinde subeant. Sic alia occasione renes, quorum tota substantia vasculo-tubulosa erat consumta, descripsimus. Atque alio in cadavere maximam vesicae vrinariae partem, pure depastam, ac in femina quadam, maligno fluore albo laborante, ingentem vaginae vteri portionem exesam, consumtamque, ac in infante mortuo in lucem edito cerebrum fere totum, in liquorem putridum commutatum, obseruauimus. Alias huius generis obseruationes ut iam taciti

(*) Ephem. N. C. D. 2. A. 1. Obs. 143.

taciti praeteremus. Neque vero inauditum quiddam est, pulmonem alterutrum purulento humore prorsus fuisse absuntum. Certe ingenuus anatomicus, et attentus rerum medicarum obseruator, D. M. E. R. B. R. O. E. C. K. I. V. S. (*) de quodam ex vulnere thoracis in phthisim delapsi, tandemque vita erepto, sequentia proponit: *aperto thorace, inquit, inuenimus vulnerati lateris totum pulmonis lobum suppuratione adeo consumtum, ut ne minima quidem eius particula in latere illo superesset, immo vero dixisses, nunquam in illo latere quidquam pulmonis fuisse: atque hinc magnopere admirari sumus omnes, quomodo ille homo tanto tempore in vita superesse potuisse.* Alias a probatae fidei viris recensitas obseruationes breuitatis ergo iam de industria omittimus. Potius nonnihil rimari iuvat, quomodo pulmo, ex cartilaginibus, vt et vasis sanguiferis, minimis, maioribus, maximisque, et alis partibus, contextus, aegro adhuc superstite, consumi, et in liquorem conuerti possit. Id quidem nemini obscurum fore arbitror, praegrandis huius visceris consumptionem haud repente, sed lente et pedetentim fieri. Etenim si vasi vni alterique pulmonis maiori vulnus latum infligeretur, quid lethiferum sanguinis effluxum, praecipue cum hic loci cor prope positum impetuote vitale liquidum in vicinum pulmonem impellat, impedire queat, ego perspicere nequeo. Proinde vt pulmo in embryone quotidiana, at insensibilia capit incrementa, ac progressu demum temporis insignem acquirit magnitudinem: ita pulmonem perfecte formatum, et ad debitam magnitudinem perduictum, ac denio consumendum, minimarum, et insensibilium, particularum iacturam perpetim facere, veri est simillimum. Iam vero omnia vasa naturali fibrarum, e quibus construuntur, virtute partim contrahuntur, partim abbreviantur, eademque liquidorum contentorum vim multum superantia, haec non modo expellunt, verum eodem etiam tempore paulatim eo vsque crispanunt, et angustantur, donec latera se mutuo contingentia transfluentibus liqui-

(*) Anat. l. 2. c. 13. p. 320.

liquidis remoram iniiciant, et eorumdem transfluxum plane cohibeant. Proinde rationem iam elucere opinor, cur pulmo in alterutro thoracis latere, sine lethali sanguinis effusione prorsus consumi possit, ac soleat. Quandoquidem suppono, portionem pulmonis, vleeris labe infectam, vitali sensu paulatim exui, vicina vero vasa eodem adhuc pollere, atque hinc puris acore exstimplata fortius contrahi. Insuper suppono, liquidi in vasis exulceratae partis residui vim minui haud parum; quippe humorem elasticæ naturæ ex vasis amplioribus in minora, minimaque, compulsum, atque ideo compressum, longe potentius vim suam elasticam, et renitendi conatum exserere illo, qui ex angusto spatio in augustum tendit, nemo temere inficias iuerit. In exulcerata vero parte vascula sunt corrosa, propereaque ex iis stillantes liquores, inque spatiū augustum tendentes, vim suam renitendi atque elasticam amittunt, ideoque nec sanguini nouiter adfluenti, nec vasis ipsis amplius renituntur. Quare fieri aliter nequit, quam ut vasa, in peripheria vleris posita vellicataque, debilitatis contentorum liquidorum viribus, adhuc potentius constringantur, ostiolorumque diameter angustetur, atque hac ratione adfluenti sanguini efficacius resistatur, et liberior effluxus cohibeatur. Ex his autem porro consequitur, vlcere paulatim latius profundiusque serpente, circumposita vasa, vtū secundum naturam magna et ampla, respectu partis exulceratae contracta esse minimaque, adeoque totum pulmonem sine mortifera sanguinis effusione consumi posse. Neque vero ciusmodi maiorum etiam vasorum coarctationem cum autopsia pugnare, opinor. Quis enim ignorat, post infantis natuitatem, et canalem arteriosum, et foramen ouale, spontaneo naturae ductu, et sanguinis cursu aliorum directo, contrahi, angustari, tandemque penitus consolidari. Est praeterea explicatu perarduum atque difficile, quomodo tantæ molis viscus in liquidum conuerti possit. Si prima corporis rudimenta probe pensitemus, & sententiae etiam eorum, qui futuri embryonis stamina ante conceptionem in ouulo materno

terno iam tum præexistere, existimant, accedere velintis? te-
nerrima tamen ea stamina liquidum potius quam solidum eorū
pusculum formare; nemo, credo, inficiabitur q[uod] iam vero con-
ceptionis succique nutricii virtute, exilißimae tenerissimaeque
fibrulae explicantur; solidescunt; ac earum non parvae in os-
seantur substantia indurescunt. Quare quādū corporis cre-
scit, tamdiu liquidum in solidum mutatur. Proximum nimirū for-
ret, si stupendi huius phænomeni rationem digne explicare
moliremur; In eo autem physiologorum plerosque concordes
esse, animaduero, liquidū mutationem in solidū a particulis
gelatinoso-terrestribus, a flamine sanguineo secretis, in quo mu-
tuos amplexus compulsi, et arctius cum inter se, tum cum par-
tibus nutrientib[us] viatis dependere, atque ideo ea particularum
nutrictiarum, et ex his contextuarum fibrarum, et laminarum
vniōne, modo laxiore, modo strictiore, modo firmissimā, omnes
quod in partibus solidis ratione firmitatis obseruantur, differenter
effici. His ita positis, modum, quo solidū in liquidū tran-
sit, facilius iam emendari posse existimo. Etenim necesse est, ut
vulnus particularum stricta solvatur, particulae insimilae antea
quiēscentes, numerō vero soluta, interfluent humido, disconti-
nuentur, perpetuque moueantur, quo hac demum ratione, pars
solida liquidū, a quo olim originem traxit, naturam denuo in-
duere possit. Id enim nequaquam adserueri, particulas ter-
restres in aquam prorsus mutari, sed crediderint potius, eas in
minimas moleculas diuisas, et vehiculo aquoso sufficienter dilu-
tas, cum hoc liquidum componere. Quid autem particularum
concretarum vniōne in solvatur, nondum adeo clara finotet
est. De famosa illa machina Papiniana constat, ibidem in eandem,
cum sufficienti aquae copia, iuncta, intrā breuo tempore
spatiū, calorū externi ministerio, colliguntur, et in liquamen
veluti conuerti. Similem in modum viui corporis partes sol-
idas in fluidū mutari, vero minime videtur. Quando-
quidem aer, in machina præmembrata conclusus, et externo
calore expansus, immensis viribus aquam in ossum poros adi-

git, particulaeque strictissime vñitas impetuose disiungit; quales certe potentiae in aëre, corpori vivo inexistente, ne animo quidem concipi possunt. Insuper spiritu vini, salis ammoniaci aliquo spiritibus sulphureis et alcalicis, carnem visceraque haud dissolui, sed iisdem a corruptionis labore, ceteris paribus, immunita præstari, & inducari, autopsia edocernunt. Quare soli, et simili huius rum a credini, visceris in liquidum conuersionem nemo fortassis adscribet. Porro aqua regia, et aliis spiritibus acidis corrosio ossium carnisque et viscerum compagem paulatim dissolui, eademque in minimas particulas redigi, experientia, cum in suam instituta, satis superque docent. Nolim tamen propterea præsentis pulmonis conuersionem in putridum liquorem, corrosio istiusmodi sali acido attribuere. Praeterquam enim, quod huius naturae sal in ulcere pulmonis dominari, nondum est evictum, certe in ipso liquore, copiose in thorace collecto, caustica vis deprehendi haud potuit; præcipue cum neque diaphragma, neque pleura, neque alia pars, putrido illo liquore irrigata, nulla corrosionis vestigia exhibuerit. Denique pulmonem, in aquam proiectum, sensim putrescere, dissolui, ac diuturna maceratione ac putrefactione totum in minimas particulas discripi, hasque sufficienti aquae copia dilutas, fluidi, tandem naturam induere, autopsia locuples est testis. Proinde pulmonem exulceratum putridumque simili modo in liquidum conuerti, veritati maxime videtur consentaneum. Siquidem cum ante suppurationem liquorum motus per minutissima vascula plus vel minus impediatur, iudemque ibidem cruentur, cumulati vero et exagitati latera vasorum diducant, extenent, eorumque poros ampliatos iusto copiosus subeant fieri tunc alter nequit, quam ut intiomor particularum contactus nonnihil dissoluatur, tubulique elongati elongescant et mollescant. Quando autem humores stagnantes paulatim corrupti, et putrescent, ac eadem labore intrinseci tubolorum humores inficiuntur: ratio omnino patet, cur tubuli pedentim elasticitate omni, ac vitalitate exuntur.

antur. Continuata vero, tum extrinseci, tum intrinseci, humoris corruptione, tandem iidem tubulos, vitalitate omni priuatos, atque hinc suapte sponte ad resolutionem putredinosam pronos, diuellunt, discerpunt, inque minimas particulas resolunt, resolutas porro diluunt, sive sequentia cum iis liquorem corruptum componunt. Quod si itaque istiusmodi corruptio putredinosa profunde lateque serpat, fieri omnino potest, ut totus tandem pulmo consumatur, inque putridum liquorem conuertatur. Haec qualiacunque proponendi

VIR IVVENIS
CLARISSIMVS DOCTISSIMVSQUE DOMINVS
IOHANNES FERDINANDVS
SIMSEN,
VRATISLAV. SILES.
MEDICINAE BACCALAVREVS,

iam publice commendandus, occasionem nobis dedit. Is aliquot annos in Academia nostra commoratus, a Doctorum, publice priuatimque docentium, ore diligenter pependit, et in primis arti medicae assiduam sedulamque nauauit operam. Paucis ante mensibus a Collegio nostro modeste petiit, ut ad examen theoreticum admitteretur. Voti sui compos factus, atque ad interrogata apte respondens, non difficulter licentiam publice legendi, nec non alterum examen practicum obeundi obtinuit. In his omnibus ita se gessit, vt a laudato Collegio dignus fuerit. Pro iudicatus, cui facultas ad altiora adspirandi concederetur. Proximo itaque Veneris die Dissertationem *de Vinculis chirurgicis conscriptam*, pro virili defendet, a me vero, post conflictum dispu-

disputatorium, laborum praemium, promeritosque honores
imperabit. Cum enim auctoritate **Potentissimi, Serenissimi,**
Celsissimique Principis ac Domini, Domini
WILHELMI MAVRITII, Duci
Saxoniae, Cliviae, Montium, Angliae et Westphaliae,
et reliqua, Postulati Administratori Episcopatus
Martisburgensis, et Academiae huius Cancellarit
perpetui, Domini mei clementissimi, Procancellarii mu-
nus mihi sit demandatum, officio huic, et honestis Candidati
desiderii satisfacturus, hunc ipsum Licentiati Medicinæ hono-
ribus ritu maiorum condecorabo. Quae solennia vt RECTOR
ACADEMÆ MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMI COMITES, PROCERES VTRIVSQUE REI-
PUBLICAE GRAVISSIMI, VT ET GENERO-
SISSIMI AC NOBILISSIMI ACADEMIAE CI-
VES, praesentes celebrare velint, ea, quia decet, obseruancia
ac humanitate rogamus et obtestamur. P. P. Domin. I. p.

Epsiph. Anno MDCCXXXIX

LIPSIAE,

EX OFFICINA TITIANA.

PROLOGUE ORATIONIS
SIC SIMI AGNO DENESE
VEN. preciosas solitariae
et rarae
CANTUS
ALLEGRI
EX CANTU PRACTICO

01 A 6602

ULB Halle
002 932 512

3





FACVLTATIS MEDICAE

I N

ACADEMIA LIPSIENSI

H. T.

PRO-CANCELLARIVS
D. POLYCARPV GOTTLIEB
SCHACHER

ORDINIS SVI DECANVS

PANEGYRIN MEDICAM

I N D I C I T.

32